



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. Præsupposita ad resolutionem quæstionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



ARTICULUS III.

In quânam operatione rationali consistat beatitudo formalis?

SUMMARI A.

- 1. Varij actus Beatorum.
- 2. Beatitudo accipitur vel integraliter, vel formaliter.
- 3. Varietas sententiarum.
- 4. Removetur à beatitudine formalis actus voluntatis primò ex naturâ & inductione actuum voluntatis.
- 5. Secundo ex naturâ amoris.
- 6. Tertio ex natura beatitudinis objectivâ.
- 7. Quarto ex natura consecutionis illius.
- 8. Eliditur responsio Adversarj.
- 9. In sola visione consistere beatitudinem formalem ostenditur auctoritate.
- 10. Essentiale requisitum beatitudinis formalis, quòd sit primordialis consecutio & possessio Summi Boni convenit soli visioni.
- 11. Item quòd sit primò distinctiva status patriæ à statu viæ.
- 12. Finis aliquando significat acquiescere in re possessâ.
- 13. Quo sensu comprehensio pertineat ad voluntatem?
- 14. D. Augustinus loquitur de beatitudine integrali.
- 15. Beatitudo formalis est intima unio consecutiva, non prospectiva.
- 16. Quomodo beatitudo formalis adequatè debeat satiare naturam intellectualem?
- 17. An & quomodo beatitudo teneat suum objectum?
- 18. Visio quomodo DEUM assequatur sub ratione Summi Boni?
- 19. An visio sit perfectissima operatio?
- 20. Qualis esset beatitudo hominis in purâ naturâ.
- 21. An & qualis datur beatitudo in hac viâ?

§. I.

Præsupposita ad resolutionem Quæstionis.

Notandum primò. Plures esse actus, quos Beati circa suum objectum beatificum elidunt. Primus est clara & intuitiva DEI visio, de qua I. Jo. 3. Videbimus eum sicuti est. Secundò eliciunt actum amoris & charitatis, unde I. Cor. 13. dicitur: Charitas nunquam excidit. Tertio. Gaudium & delectationem: idèò Matth. 13. Servus bonus & fidelis jubetur intrare in gaudium Domini sui. Quia verò duplex est amor, videlicet amor amicitia seu benevolentia, quo amatur divina bonitas ut bona DEO; alter concupiscentia, quo amatur Divina bonitas ut bona videnti: idèò huic amori duplici respondet gaudium duplex, unum quo gaudet de omni bono DEI, quatenus est bonum ipsius DEI: alterum, quo gaudet de eodem, quatenus à se possessio.

Notandum secundò. Beatitudinem dupliciter posse considerari. Primò integraliter, prout dicitur statum collectum ex omnibus bonis, quibus Beatus perficitur, Secundò formaliter & essentialiter, prout dicit primam affectionem Summi Boni; ex qua ceu fonte primordiali cæ-

tera bona cuncta promanant. Si primo modo accipiatur, certum est, in illâ actus tam intellectus, quàm voluntatis includi, quâ de causa in S. Script. & SS. PP. modò visionis, modò fructus, modò gaudij nomine nuncupatur. Si accipiatur modo posteriori, variè sentiunt Authores, quorum sententia (ut jam exoletas relinquam) præcipuè sunt tres.

Prima, quæ est Alberti M. D. Bonaventuræ, Suarezij, Amici. Disp. 2. sect. 6. docet beatitudinem formalem consistere in actu utriusque potentia, intellectus & voluntatis, nempe simul in visione & amore. Altera est Scoti in 4. d. 49. q. 1. dicentis, illam in solo actu voluntatis, & quidem in amore amicitia consistere. Tertia est D. Thomæ, ejusque sequacium, qui illam in solâ clara visione Divinæ essentia adequatè collocant, & reliquos actus amoris, delectationis, fructus tanquam proprietates inseparabiles consequi docent.

§. II.

Excluditur actus voluntatis.

CONCLUSIO prima. Beatitudo formalis, nec adequatè, ut vult Scotus, nec inadquatè, ut vult prima sententia, consistit in actu voluntatis.

Ratio est primò. Actus voluntatis non potest esse consecutio Summi Boni: ergò in illo nec adequatè, nec inadquatè consistit beatitudo formalis. Consequentia patet: Anteced probatur. Omnis actus voluntatis circa ultimum finem, aut est desiderium illius, aut gaudium, delectatio & fructus ipsius, aut simplex amor: sed nullus ex illis actibus potest esse consecutio illius ultimi finis. Ergò. Major patet ex sufficienti enumeratione: vel enim finis seu bonum est absens & sic est desiderium ipsius, vel est præsens, sicque est gaudium de ipso, vel fructus ipsius, vel abstrahitur à præsentia & absentia, sicque est simplex amor. Minor probatur: Desiderium est de bono absenti, ergò non est consecutio ipsius: Delectatio & fructus tendunt in bonum jam possessum; ergò supponunt consecutionem & possessionem boni. Amor simplex præcendit à præsentia; ergò nec ipse dicit possessionem.

Probatur secundò. Amor amicitia, quo delectatur de bono DEI, quatenus bona DEI sunt, (in quo Adversarij vel totam beatitudinem formalem, vel partem illius collocant) non potest esse forma, quâ Beati consequantur, & beatificè possideant illud bonum, quod amant; ergò nulla ratione potest in illo beatitudo formalis constitui. Anteced. prob. Beatitudo formalis cum sit consecutio & possessio Summi Boni consistit in illo actu, qui est forma conjungens Beato bonum infinitum: sed amor amicitia non est talis forma. Ergò: Minor prob. Amor qui sistit in bono amici, ut bonum amici est, non est forma conjungens illud bonum cum amante, sed amor amicitia sistit in bonis DEI, ut sunt bona ipsius: ergo